



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvartum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Caput VIII. Idem (a) Vigiliensi Episcopo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74533)

CAPUT VIII.

Idem (a) *Vigiliensi Episcopo.*

(b) Sponsam autem alterius, si (c) est nubili ætati proxima, nullus consanguineorum aliquando sibi matrimonio potest copulare.

NOTÆ.

1. (a) *Vigiliensi.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc titul. cap. 7.* & post Concilium Lateran. p. 6. cap. 3. & p. 2. cap. 4. In dicta autem collectione additur pars capituli *cum sit Romana*, ut cognoscamus in præsentem referri partem textus in cap. *cum sit Romana*, de *simonia*. Etiam alia pars hujus textus extat in cap. 11. de *despons. impub. in 1. collect.* De *Vigiliensi* dicere egi in cap. 8. de *etate & qualitate*.
2. (b) *Sponsam*] De præsentitantum, exponit Cujac. *hic*; sed rectius Petrus Gregor. *inc. 4. supra*, etiam de futuro exponit, propter impedimentum publicæ honestatis, de quo egi in *dicto cap. 4.*
3. (c) *Si est nubili ætati.*] In hac sexta collectione legitur, *maximè*; sed certè abundat, & est Glossa Alani antiqui compilatoris; cum etiam non sit nubilis ætatis sponsa, non possit defuncto sponso ab ejus consanguineo in uxorem duci, cap. 6. de *despons. impub.* Nec contrarium probatur in verbis relatis; nam in eis non inteadit Alexander III. docere, non aliter ex sponsalibus oriri impedimentum publicæ honestatis cum sponsi consanguineis, quàm si sponsa esset nu-

bilis ætatis, cum spondebatur; sed sponsam consanguineo non posse consanguineum in uxorem ducere, si nubilis ætatis est: nam si non est nubilis ætatis, ex alia potissimum ratione eam ducere non valet, videlicet ob ætatis defectum: & ita verba relata respiciunt potius matrimonium contrahendum à consanguineo, quàm sponsalia celebrata à sponso; quia nihil interest si sponsalia valuerunt, an esset nubilis ætatis, vel non, puella, ut à consanguineo sponsi duci non possit. Quæ interpretatio facile probatur, si textus hic legatur prout jacet in cap. 11. de *despons. impub. in 1. collect.* ubi ita habetur: *Si puella infra XII. annum alicui desponsata fuerit, vel sponsus aliquam infra XIII. annum desponsavit, antequam ad annos pervenerat matrimonio aptos, à pactione nuptiali recedere, & ad aliud matrimonium convolare non possunt. Sed cum puella ad nobiles annos, & sponsus ad annos aptos matrimonio pervenerit, tunc de pactione illa complenda vel recipienda sunt audiendi; & ad complendum matrimonium ab eis, qui matrimonium juraverant, commonendi. Sponsa autem si nubili ætati proxima est, nullus consanguineorum sponsi potest eam sibi matrimonio copulare.*

CAPUT IX.

(a) Idem *Abbatib. S. Cadmundi, & de Remescia.*

EX parte Eminæ mulieris intimatum est auribus nostris, quod Andreas sibi coram sacerdote quodam & diacono, & aliis plerisque, tam clericis, quàm laicis ad hoc convocatis juramentum præstitit, quod eam ab eo tempore pro conjuge teneret, & ei sicut uxori fidem servaret: ipsa quoque eidem Andree juramento præstito promisit se illum pro marito habituram, & fidem ei tanquam proprio viro servaturam. Quo facto in eadem domo diu cohabitantes sibi liberos præcreaverunt: procedente verò tempore prænominatus Andreas contra juramentum præstitum prænominatam Eminam & filios ex ea procreatos reliquit, & ab eorum cohabitatione recessit. Quia igitur nemini licet uxorem suam sine manifesta causa fornicationis dimittere, & tunc eam sibi reconciliare debet, aut ipsam vivente (b) continere; nec nos sustinere debemus, ut prædictus Andreas juramenti præstiti religionem infringat: d. v. per A. f. p. m. quat. rei veritate diligentius inquisita, si prout superius dictum est, ita esse inveneritis, eundem Andream moneatis studiosius, ut suæ salutis consulens, & superinductam, quam habet, prius dimissam, ad uxorem suam redeat, & eam maritali affectione pertractet, & reatum suum condignam saraqat poenitentiam expiare. Quod si commonitioni vestra acquiescere forè noluerit, vos eum, & superinductam omnino. & ap. rem. excommunicationis vinculo innodetis, & usque ad dignam satisfactionem præcipiatis ab omnibus sicut excommunicatos cautius evitari.